

esse, ubi agitur de peccato Iudæorum: legem verò Adamicam intelligendam, ubi agitur de peccato illo originali quod transiit in omnes homines, Iudæos & Gentiles, ex peccato Adami. Atqui egit hoc loco Apostolus de peccato illo originali. Ergo & intellexit hoc loco legem Adamicam, non Mosaicam.

CAPUT XVII.

Peccata facta antè legem, neque imputata, neque facta ad similitudinem transgressionis Adami. Peccata facta post legem, imputata, & facta ad similitudinem transgressionis Adami. De peccato mortuo, & vivis hominibus antè legem & Adamum.

NOTANDUM præterea est diligentissimè; nullam aliam his versibus, & toto hoc capite, sive distinctionem sive differentiam, sive dissimilitudinem peccatorum, vel posuisse vel intellexisse Apostolum; præter illam quæ est inter peccata imputata, & peccata non imputata; inter peccata facta post legem, & peccata facta antè legem. Peccata facta post legem, imputata: peccata facta antè legem, non imputata. Peccata facta post legem datam Adamo, imputata: peccata facta antè legem datam Adamo, non imputata. Peccata imputata post legem datam Adamo, facta ad similitudinem peccati Adamici, à quo lex cœpit esse. Homines ergo qui non peccaverant ad similitudinem peccati Adamici, eos fuisse qui peccaverant antè legem & Adamum: sed quorum peccata non imputata fuerant, quia antè legem peccata non imputabantur.

Peccata eorum erant mortua antè legem. Quod voluit Apostolus infra capite 7. hujus epistolæ, versu 9. Absque lege (vel antè legem, quod idem est) peccatum erat mortuum.